



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Salustius Germanicus n. 86

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

In Hispania Prouincias 5. habet, quas præcones Euangelicos dant ad utramque Indiam.

In Gallia totidē qua præclaram operam præstant in seductis ad gremium Ecclesie reducendis.

Et in Germania tres: in quarum collegijs iuuentus optimis moribus, & literis imbuuntur.

Societas laudatur:

Et Ignatius Patens.

Et Xauerii filius.

85. AB ALBERTO MIRÆO, *In libello Politicæ Christianæ lib. 1. cap. 19. pag. 77.* In vniuersis (inquit) Hispaniarum Regnis Societas IESV quinque Prouincias habet, quas vna cum singularum Collegijs operæ pretium hic fuerit ob oculos ponere, quod ex ijs potissimum desumpti fuerint, hodieque desumantur præcones Euangelici ad Christi doctrinam per vtramque Indiam, longè lateque disseminandam. *Hæc ille: qui Collegia recenset quæ in vnaquaque Prouincia habet Societas. Et Ibidem cap. 25. pag. 105. subdit: Si vsquam alibi, in Gallia præclaram certe operam præstat Societas IESV in seductis ad viam veritatis, gremiumque Ecclesie reducendis. Ipsi autem in Gallia sunt Prouinciæ quinque. Et vniuscuiusque Collegia enumerat. Et Ibidem cap. 35. pag. 141. In Germania (inquit) tres habent Prouincias Patres Societatis, in quarum Collegijs iuuentus optimis moribus, & literis accuratè imbuitur: vel ipsorum etiam Lutheranorum iudicio, qui non raro liberos etiam suos ad ea gymnasia erudiendos mittunt. Sic ille: qui Auctor diuersus est à præcedenti Alberto Miræo, ut apud scriptores inuenio: fides sit penes ipsos.*

86. A SALVSTIO GERMANICO, *In suis Flosculis Historicis, siue Historia Vniuersali ab Orbe condito, sic ait: Eo tempore nascebatur Societas IESV, sancita à Paulo III. an. 1540. eo incremento, rerumque successu, quem vterque Orbis suspexit. Auctor Ignatius de Loyola, qui per tirocinium patientiæ ad sanctitatem miram euectus, prudentiæ, & humilitatis specimen fuit: cuius miraculum ingens Xauerius, sequenti anno in Indiam missus, qui terrarum tractus, & marium immensos obiens, myriadibus hominum Christo consignatis, eique aperta primum Iaponia in Sinarum aditu, raptus est febrī, cum eius ignibus minor esset Orbis, quærendumque esset in ipso fonte incendij pabulum. Hæc Auctor florentissimus fol. mhi 590.*

* 87. A D^a. MARINA DE ESCOBAR, *Illam quidem Venerabili femina, sanctitate clarissima Virgine, tot tantisque diuinitatis*